



ORATIO


DE TRIBVS FARINÆ SATIS,
habita in renunciatione gradus
Magisterij Philosophici a
Philippo Melanthone

Die 17. Septembris.
Anno 1548.



VITEBERGAE
Excudebat Iosephus Klug,
Anno M. D. L.

XVII, 510.



ORATIO DE TRI-
bus farinæ satis , habita in re-
nunciatione gradus Magi-
gisterij Philosophici a
Philippo Melanthone.



DFirmat Deus se Ec-
clesiam suam ita serua-
turum esse, ut cum in
uinea non uberrimo
tempore paucæ tan-
tum uuæ natæ sunt, sed
adeo pulchræ & grate
colono, ut diligenter eas custodiat, & læ-
tus Deo pro his muneribus gratias agat.
Sic cum hactenus & Ecclesiæ in his re-
gionibus, & hunc nostrum hortulum ser-
uet, primum uos adhortor, ut pectora &
linguæ uestræ mecum & gratias agant
Deo, & petant, ut deinceps nos seruet &
gubernet. Non enim fœlices sunt homi-
num conatus sine auxilio Dei. Sed gemi-
tus & uota ad Filium Dei, custodem ag-
minis discentium, adferamus, & sciamus
ea non esse irrita.

A ij Tibi

Tibi igitur, omnipotens Deus, eterne
Pater Domini nostri Iesu Christi, condis-
tor cœli & terræ, una cum Filio tuo coe-
terno, Domino nostro Iesu Christo, &
Spiritu sancto, sapiens, bone, uerax, iuste,
caste, misericors, gratias agimus, q̄ hacte-
nus nos seruasti, nec casu nos superstites
esse sentimus, sed tuæ misericordiæ tri-
buimus, q̄ non deleri nos fontes pateris,
quòdq̄ discentium cœtus aliquos prote-
gis, Ac ardentibus uotis te propter Fi-
lium Dominum nostrum Iesum Chris-
tum crucifixum & resuscitatum ora-
mus, ut deinceps nos serues, & mentes
nostras gubernes, ut studia & omnia con-
silia sint salutaria nobis & alijs, & ut uere
simus uasa misericordie, & te uera grati-
tudine celebremus.

Hæc uota in his congressibus sæpe
repetenda sunt. Non enim existimemus
eos prophana spectacula esse, sed discipli-
næ causa instituti sunt, & ut in Ecclesia,
ita in hac frequentia sint præcipui actus,
inuocatio & commonefactio de doctrina-
næ studijs, & de disciplina.

Nunc

Nunc igitur, ut accedat commonefa-
ctio, enarrabo dictum uenustissimum, in
quo Ecclesiæ & Scholarum imago píngi-
tur:

Simile est regnum cœlorum fer-
mento, quod mulier miscet tribus
satis farinæ, ut tota massa fermente-
tur.

Scitis usitatum esse, sumere imagi-
nes ex physicis exemplis, quæ quidem
blandiores sunt, cum à rebus domesticis
& ex œconomia sumuntur.

Ac opposita est hæc imago persua-
sioni pharisaicæ, quæ cum fingeret reg-
num Messiæ imperium mundi fore, si-
mile Cyri aut Alexandri imperio, pollis-
cebatur stultæ multitudini prouinciarum
partitionem, ocium, opes, uoluptates.
Hæc quia grata sunt, mirabiliter fascina-
tae erant mentes hac opinione. Nam quæ
uolunt homines, ea libenter credunt, ut
inquit Demosthenes.

Sed contraria imago regni Messiæ
hic ostenditur. Imo inquit, Ecclesia non
reget imperia mundi, sed erit doctrrix, &c.

A ij ut

ut mater familiæ miscebit aliquot modijs farinæ fermentum, id est, animis & pectoribus auditorum inferet doctrinam, ut sensus ac motus animorum ad Deum flectantur.

Vt autem proprius aspiciamus hanc imaginem, consideremus unde sumpta sit, & singula uerba expendamus. Narratio prorsus similis est in Genesi de conuiuio, in quo Abraham excipit tres uiros, inter quos erat Filius Dei, ubi mandat matrifamiliæ, ut cito coquat panes ex tribus farinæ satis, & mactat ipse tenetum uitulum.

Mouet me narrationis similitudo, ut existimem Christum eius conuiuij memorem, inde sumpsisse hanc imaginem, & quasi deducere auditores ad considerandum illud ipsum conuiuium, quod etiam imago est Ecclesiæ. Abraham sacerdos mactat uitulum, qui significat uenturam uictimam, materfamiliæ panes, id est, doctrinam distribuit. Assidet ipse Filius Dei, qui semper adest Ecclesiæ suæ, & conuiuas suo sermone recreat,

treat, & promissionem præcipuam repe-
tit. Intellexit Abraham quid ageretur,
nec similem duxit esse eam cœnam quo-
tidianis officijs, erga alios hospites, sed
agnouit Dominum, quem sciebat Eccle-
siæ custodem esse, & fore uictimam pro
nobis. Hunc cernunt oculis Abraham &
Sara, huius pectus & genas dulcissimo
complexu premunt. Hunc audiunt con-
cionantem de miranda promissione, &
de iudicio Dei.

Et quia fiunt illustriores historiæ con-
sideratione locorum, locum etiam oculis
aspicite in tabulis uestris. Hic festus dies,
& hæc panegyris celebrata est in He-
bron, quæ deinde Mamre nominata est,
quæ distabat quinq; miliaribus germani-
cis & paulo amplius à Ierosolyma, fuitq;
postea ipsi Abrahæ, Isaac & Jacob sepul-
turæ locus, quasi ut expectarent corpora
in eo ipso uestigio uitæ restitutionem, in
quo promissio edita erat.

Cum autem non dubium sit, huius
cœnæ recordationem suauem fuisse ipsi
hospiti, sæpe multumq; cogitanti de

A iiiij Patrio

Patribus, tanquam de dulcissimis amicis, consentaneum est inde narrationem in Euangeliō sumptam esse, nosq; uelut ad eius cœnæ considerationem, imo ad has ipsas epulas deduci. Arbitror etiam cœnæ institutæ in Ecclesia typum fuisse illud ipsum conuiuum.

Sed undecunq; sumpta est narratio in Euangeliō de tribus satis, uerba certe congruunt, & idem significant. Nunc partes recitemus.

Fermentum significat doctrinam. Et cum propter similitudinem tales fiant collationes, considerandum est, que sint utilitates fermenti, & in pane, & in corpore hominis nutriendo. Fermenti effectus sunt in pane, inflare, rarefacere & attenuare. Hæc primum eo conducent, ut in pane singulæ partes recte & æqualiter coqui possint. Deinde nostris corporibus utilior est panis rarius, tenuior, leuior, ac æquabiliter assatus, facilius enim arripit natura nostri corporis attenuatas & rarefactas partes. Et ipsa mixtura fermenti rarefactionem in ueniticulo

triculo adiuuat. Deinde & sapor exacido & salso mixtus, coctionem irritat & acuit. Figit etiam & quasi glutinat nutrimentum. Cum igitur multæ & magnæ sint utilitates fermenti, Galenus aliquo-
ties dicit, minime salubres esse panes non fermentatos.

Iam ad doctrinam fiat collatio dex-
tre, non exiliter & curiose.

Flatus & motus nouos doctrina exuscitat in pectoribus, & squalorem cordis nostri discutit, & firmum nutrimentum est animarum, nouam uitam & læticiam, quasi nouum succum, gig-
nens.

Sed cur tria sata sunt? Hic primum moneo rudiores, satum Ebraicam adpel lationem esse mensuræ, quæ fere duos modios ueteres Romanos continet. Tria igitur sata pene medimnum efficiunt, qui congruit cum usitata Lipsica mensura, cui à scapha nomen est, que tan tum farinæ continet, quantum semel in mediocri familia p̄nsitur. Nec dubito numerum certo consilio & in Genesi

A v scriptum

scriptum esse, & postea repetitum, ut lectori non hebeti discrimina aliqua in audiētibus significarentur.

Nec mihi displaceat, q̄ alīqui tria tempora intelligunt, cōcētū uocatum ante diluvium, cōcētū uocatum post diluvium usq; ad resurrectionem Christi, & deinde cōcētū, qui uocatur inde usq; ab Apostolis ad finem mundi.

Sed cum uires præcipuas in natura hominum considero, aptissime accommodari ad eas hic numerus uidetur. Res enim in conspectu est, tres præcipuas uires Euangelio in eas infuso emendari & renouari, ἡγεμονικὸς, θυμικὸς & επιθυμητικὸς.

Ac ut de singulis pauca dicam, & si gloriosum nomen est summę partis, que uocatur ἡγεμονικός, tamen in ea multum est caliginis & uiciorum, retinet mens etiam in hac uiciosa natura noticiam aliquam legis, ut numerorum, aut figurarum. Sed tamen sine Euangelio de Filio Dei, magnae tenebræ sunt in mente. Alij furenter negant esse Deum, tollunt prouiden-

uidentiam, & discrimen recte & secus fa-
ctorum, aliij in perpetua dubitatione ma-
nent, aliij ludunt fingendis nouis numini-
bus infinitis. Neq; hi errores tantum
graſſabantur inter Ethnicos, Sed om-
nium ætatum atq; hominum sine luce
Euangelij ſimiles ſunt errores de Dao,
& de inuocatione. Et multitudo ſem
per fauet ijs opinionibus, quibus innu-
trita eſt, ut dicitur, ὡς π τροφορ, γλυ-
κύ.

Nec raro peccat ἡγεμονικοὶ species fa-
cientię, ut cum politici gubernatores at-
temperant religiones ad imperia, & pa-
cis cauſa laxant dogmata, ut in synodo
Syrmiana tollebatur ὁ μοστιοὶ ex Symbo-
lo, & inferebatur ὁ μοιοὶ, ut Symbolum
utriq; parti uelut cothurnus utriq; pedi,
conuenire uideretur.

Deinde in secundo & tertio gradu
uirium hominis, quanta ſunt incendia
prauarum cupiditatū? Ambitiones,
æmulationes, odia, maleuolentiae, liuo-
res, cupiditas uindictæ, dolores propter
repulam, auaricia, libidines? Nec eſt ul-
la

la tam moderata natura, quæ non sentiat aliquas errantes cupiditates.

Cum autem doctrina Euangeliū, uel fermentum, uiribus nostris miscetur, sām quasi fatus noui sīunt, mens incipit recte agnoscere Deum, & statuit summa reuerentia audiendam esse uocem Dei, & ad hanc normam iudicia omnia & omnes motus cordium conuenire oportere. Non ludit opinionibus de Deo, ut Philosophi, aut idolorum plastræ, non inflectit doctrinam ad politicas opiniones, Sed reuerenter acquiescit in uoce patefacta à Deo.

Deinde & in corde sit quasi succus nouus, dilectio Dei, studium quærendæ ueritatis, & tuendæ tranquillitatis in Ecclesia, benevolentia erga omnes, modestia reprimens ambitionem, mansuetudo condonans communi tranquillitati iniurias.

Sint igitur haec, ut dictum est, tria sancta, ἡγεμονικὸς θυμικὸς, & ἐπιθυμικὸς seu mens, uoluntas & cor in homine, quibus misceri fermentum, id est, Euangelium, oportet,

oportet, ut melior succus in nobis fiat
Quo autem modo fiat haec conuersio,
ex communī doctrīna de poenitentia sci-
tis. Cum doctrīna arguit peccata, corda
expauescunt, ita uelut acido & falso fa-
pore roduntur.

Deinde cum accedit consolatio, audi-
tā promissione, redditur uita & leticia,
quasi nouo succo infuso. Nec hæc subi-
to perficiuntur, sed longa & assidua sub-
actio & assatio fiat & quod uerbis ebreis
in Genesi diserte significatum est, stu-
diose legenda, audienda, meditanda est
doctrina cœlestis, & in quotidianis mises-
rijs ad iuocationem & uera exercitia
transferenda. Hoc est subigi farinam, &
assari in cineribus, id est, inter uarias æ-
rumnas, quibus commonefacti agnosca-
mus iustam & magnam esse iram Dei
aduersus peccata in toto genere huma-
no, & uelut in cineribus abiecti & sum-
missi deploremus nostra delicta, & pe-
tamus nos seruari propter Mediatorem.
Sicut in cineribus iacebant exules Iere-
mias & alijs, cum incensa patria tota gens
miserabiliter dissiparetur.



Hæc admonitio de assiduitate subactionis accendat in nobis diligentiam & curam discendi, sciamus non subito rerum maximarum doctrinam totam arripi. Nec sumant sibi potestatem dogmata condendi in Ecclesia Dei, homines ociosi qui utcunq; obiter degustarunt doctrinam.

Et quoniam imago panum præcipue ad scholasticos pertinet, uocabula etiam interpretabimur, quid uocarit antiquitas panes in cineribus assatos. Differunt panes materia, differunt & modo assationis, ac nimis longum esset omnia persequi. Tantum hoc addam, Alij panes κλισανίαι, id est, furnarij, dicti sunt, qui nostro more in furnis assati sunt, quos quidem meliores esse Galenus dicit. Sed ars est recentior. Alius modus fuit uetus, in foco inter cineres, uel in testa assari panes. Hi dicuntur ἔγκρυφαι, quasi teclii cineribus, quorum sæpe fit mentio in Græca lectione prophetorum librorum. Et in Leuitico in quadam descriptione oblationis, satis concinna

concinna allegoria traditur à Græcis in-
terpretibus, panem ἔγκρυφίαρ typum esse
Christi in sepulchro, tanquam inter ci-
neres, iacentis.

Sed in alijs locis ad nos auditores
proprie accommodanda est figura. Nos
sumus ἔγκρυφιαι, obruti cineribus, squa-
lidi, ærumnosi, sed hanc consolationem
teneamus, Deo placere haec doctrinæ stu-
dia, eumq; custodem esse sui coetus, &
semper agmina aliqua dissentium serua-
turum esse, & colligi hoc modo æternam
ipſi Ecclesiam. Hac confirmati consola-
tione, has scholasticas operas & amemus
& studiose faciamus, & Ecclesiæ
ac posteris philosophiam &
doctrinam de Deo incor-
ruptam tradamus.

DIXI.

QVAESTIO

Q V A E S T I O

IN EADEM RENVNTIATIONE

Magistrorum recitata .



Truncꝝ ad disciplinam
pertinet, modeste legi-
bus obtēperare, & cum
iubent Præceptores, in
cœtu publico de re ali-
qua differere, uerecum-
de sentētiam exponere.

Cum autem me & consuetudo & Præ-
ceptorum autoritas cogat hoc loco ali-
quid dicere, & maior in tali re laus sit
officij ac obedientiæ, q̄ eruditionis, quæ-
so uicissim, ut me patienter audiatis.

Cum autem sumenda sit materia ex
philosophica doctrina, & dulcissima sic
consideratio mirandi opificij in humano
corpore, dicam aliquid de duobus canali-
bus, qua fauibus orti descendunt in
corpus, alter in pulmonem, alter in uen-
triculum, quorum illi, qui in pulmonem
tendit, nomen est Trachea arteria, huic ue-
ro longiori, qui uentriculo adiunctus est,
nomen est ðισοφάγος.

Hos

Hos cum sic discernat Plato, ut dicat œsophago cibum uehi in uentriculum, Tracheam uero canalem esse postus, duriter reprehensus est a multis. Hinc duæ quæstiones oriuntur, altera de officijs horum canalium, altera, an excusari Plato possit.

Ac primum mirifica omnino est fabricatio humani corporis, in qua tantum artis adhibuit opifex, ut agnosceremus non casu extitisse hanc naturam rerum, sed a mente architectatrice conditam esse. Et hoc modo investigari se in hac officij consideratione, & obedientia nostra preparari nos ad immortalem uitam uoluit. Miretur enim aliquis, Si homines conditi sunt non ad hanc mortalem uitam, sed ut in æterna luce & sapientia uiuant, quid fuit opus adiungere in homine culinam parti rationali? Si autem tantum ad mortalem uitam conditus est, quid opus fuit tanta arte?

Etsi autem non dubium est, primis parentibus ipsam naturæ considerationem fuisse illustre testimonium de Deo,

B tamen

tamen nobis in hac caligine haec ratiocinationes de Deo sunt obscuriores. Et tamen causa consilij diuini tenenda est.

Tanta est uarietas, tanquam machinarum in humano corpore, ut de artifice nos admoneant.

Præterea non ad mortalem tantum uitam conditi sumus, sed adiuncta est culina parti intelligenti, quia nos præparari in hac uita ad æternam consuetudinem uoluimus. In hac mortali consuetudine uoluit initia æternæ lucis accendi. Ideo parti intelligenti adiuncta est culina.

Nunc breuiter dicam de officijs illorum canalium. Manifestum est œsophago & cibum & potum uehi in uentriculum. Nam & potu necesse est cibos fieri humidiiores, & languis in Epate non tantum ex cibo, sed etiam ex potu dignitur. Influere igitur potum in uentriculum necesse est.

Trachea uero non culinæ causa facta est, sed propter spirationem & uocem. Oratorium organum est, quod necessarium

cessarium fuit naturæ conditæ ad societatem. Ut autem tota societas ideo præcipue necessaria est, ut alij alios de Deo & de rebus bonis doceant, ita præcipue necessariæ res sunt, sermonis communica-
tio, & oratoria instrumenta, qua in re etiam hoc admirandum est, cordi, tanque
regi, adiunctum esse oratorem.

Hæc de discrimine canalium uera & nota sunt, Nec aliud Plato sentit.

Cur igitur potum attribuit Tracheę? fortassis partem attribuit, quia certe ne-
cessere est rigari pulmonem, cuius exarefa-
ctio exitialis est uitæ.

Cum autem hæc quæstio digna sit disputatione eruditorum, & profecto ne-
cessaria sit homini consideratio huius mi-
randi theatri, quod in opificio humani
corporis Deus nobis proposuit, defero
hanc questionem ad magnificum domi-
num uicerectorem M. Johannem Mar-
cellum, conterraneum meum carissi-
mum, quem oro, ut quanquam amplitu-
do harum rerum non potest paucis expli-
car, tamen ad commonefaciendos audi-

B ij tores

tores aliquid dicat de miranda copulatio
ne diuersissimarum machinarum in ho-
mine, de instrumentis noticie, de organis
oratorijs, & de nutricatione. Utile est
profecto cogitare, quo consilio restam di-
uersas in hominis naturam Deus incluse
rit.

DIXI.

RESPONSIO



Go uero, carissimi audi-
tores, & si sepe me ad natu-
ræ considerationem ut-
cunque exuscito, tamen
mox opprimor ipsa mag-
nitudine, & quasi mole re-
rum tantarum, ita, ut uelut attonitus &
pene exanimatus obstupescam, ac dos-
leam, cum natura condita sit ad hanc sa-
pientiam, uix exiguum umbram aspici
posse, & fortassis haec ipsa in nobis audi-
tas penitus cognoscendi & naturam &
opificem, significatio est insita nature, te-
stificans nos ad consuetudinem eternam
Dei conditos esse, ubi Architectus ipse,
& operum suorum ideam, & consilia no-
bis ostendet.

Dicam

Dicam autem breuiter de tuis quæstionibus.

Est omnino miranda copulatio diversissimarum machinarum in homine. Nam si ad æternam sapientiam conditum sumus, quare adiuncta est hæc tam sordida culina?

Consilij huius uerissima causa est, quia uoluit Deus naturam aliquam corpoream esse, quæ in hac ipsa uita fruente rebus nascentibus, ipsi seruiret, & nunc præpararetur ad æternam consuetudinem cœlestium. Nunc igitur discenda sunt initia doctrinæ. Nunc accendi lucem & iusticiam æternam oportet, Ne expectato cœlestem Dei consuetudinem, nisi in hac uita mortali præparatus, ad Deum accedas, hic ordo institutus est mirando ipsius consilio. Ideo ad nos Filium misit, & quidem simili natura copulata, Ideo in hac uita uult doceri homines, Ideo datus est sermo, & in corpore oratoria organa condita sunt, Ideo seruat & seruaturus est in genere humano ministerium Euangeli. Non igitur re-

Bij pugnemus

latio
a ho-
ganis
e est
m di-
cluse

O
udi-
natu-
ut-
nen
ag-
e re
s &
dos
fa-
pici
uidi
&
te-
am
ose,
no
am



pugnemus uoluntati Dei, sed statim à ui-
tæ initio cœlestem doctrinam discamus,
& toto uitæ spacio eam meditemur, & ei
obedire incipiamus.

Illud etiam addo tuæ orationi, recte
dicis, Cordi, tanquam regi, uocis organa
addita esse. Sed illud quoq; addendum
est. Eundem esse uocis & spiritus cana-
lem, ut significetur, ex corde æterni Pa-
tris simul & uocem Euangeli jedi, & dæ-
ri Spiritum sanctum per uocem Euan-
geli j. Mirabiles significationes de Deo
sparsæ sunt in totam rerum naturam, ut
non temere dictum sit: Omnia plena
Deo.

Sed uenio ad quæstionem de potu.
Non dissentit Plato à cæteris, sed fatetur
ipse quoq;, idem esse iter cibi & potus, &
eundem canalem œsophagum. Interea
tamen obiter ait potu rigari pulmonem,
quod uerum est, atq; ita ueteres docti ho-
mines locuti sunt.

Alceus enim inquit, Τέγγε πνεύμο-
νας ὄντος. Et Euripides, δινός περάσας πνευ-
μόνων διερρέοας. Vinum penetrans pulmo-
num


num meatus. Instillari igitur aliquid uel
lut rorem in Tracheam consentaneum
est. pr̄sertim cum pulmoni & cordi opus
sit rigatione & in siti constet mox quasi
recreari cor potu refrigeratum. Et ta-
men uerum est, distincta esse officia ca-
naliuni, ut res ostendit, suffocari homi-
nem, cum uel exigua mīca in aditum
Tracheæ illapsa est.

Nec nulla est significatio in hac ipsa
distinctione, sicut horum canarium offi-
cia uult Deus distincta esse, ita oratorem
in Ecclesia se iungit à politico guberna-
tore.

Multæ autem confusiones doctrina-
rum & uitæ inde oriuntur, cum hæc offi-
cia confunduntur.

Sed hanc querelam omitto, ac Deum
oro, ut & singulos gradus guber-
net, & seruet inter nos Ecclesiam,
& semen aliquod sanctum.

DIXI.



9984


Ma

488

—
—
—

XVII, 510.





Farbkarte #13

B.I.G.

Blue

Cyan

Green

Yellow

Red

Magenta

White

3/Color

Black

Blue

Cyan

Green

Yellow

Red

Magenta

White

3/Color

Black

Blue

Cyan

Green

Yellow

Red

Magenta

White

3/Color

Black

Blue

Cyan

Green

Yellow

Red

Magenta

White

3/Color

Black

Blue

Cyan

Green

Yellow

Red

Magenta

White

3/Color

Black

Blue

Cyan

Green

Yellow

Red

Magenta

White

3/Color

Black

RATIO

IBVS FARINÆ SATIS,
in renunciatione gradus
gisterij Philosophici a
hilippo Melanthone

Die 17. Septembris.
Anno 1548.



TEBERGAE
udebat Iosephus Klug,
Anno M. D. L.

10.

